212

Magnifice
summe reverende
eruditissime!
fautor summopere colende

gratas TIBI fuisse VIR MAGNIFICE litteras meas, quibus specimen addideram observationum Lubbenacarum, prolixe significasti per Dn. Asmis, discipulum olim meum. id vero mirabar, tantas Teum adiicere excusationes, cur nondum ad eas rescripseris. nec enim illud necesse erat. scio Te maxime docendo esse impeditum, scio magnificum onus quod in Te devolutum est, omne reliquum tempus posscere, proinde non erat, ut mora ista non TUA, sed muneris excusaretur. caeterum animus tuus tantum me excusavit, ut et aliud schediasma theologicum, aliudque scholasticum, TUAE commendem favori, ut, si per infinitas licuerit occupationes, animum defessum hisce perlegend

leues. soleo, quas habeo reliquas a molesto
munere horarum particulas ad scribendum
aliquid aut meditandum adhibere, ut eo
melius muneris, a deo mihi iniuncti partes
impleam et mensuram. Tibi non ingratum
fore, meum in Graecas litteras studium, quo
etiam iuuenes inflammare studeo, eo magis
spero, quo minus ullus theologiae cultor
proficere sine graeca lingua recte queat.

Coeterum deum O. M. supplex rogo, uelit
T. V. M. diu conseruare sospitem, regi-
men tuum secundare, uires animi ac
corporis reficere, ut diu et erudito orbi
et iuuenum studiis prodesse queas. nullo
non tempore studebo permanere

Nominis Tui Magnifici

Dab. Lubec. a. d. XIV Sept.
CIↃIↃCCXXXIII.

Cultor indefessus,
M. Carolus Henricus Langius
Subr. Lubec.

A la Magnificence

Monseigneur Aepinus
Recteur de l'Academie
de Rostoch tres Magnifi-
que Docteur et professeur en
Theologie, tres humblement à
Rostoch

p Ami